

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr.  0960
	0958
	0964
	0954
387	
Sicut autem Arabia illa deserta est terra infeliciſſima et valde mala, ita Arabia alia, felix dicta, est felicissima et valde bona, quae quondam Cadrosia fuit dicta, haud longe ab Aegypto distans. Aurum in ea abundat, quod e cuniculis nulla arte factis effodiunt, non quidem quod igne exprimunt, sed ipsa natura purum ex humo producit in nucis quantitate. Haec Arabia etiam Saba dicitur, a civitate insigni ejus, quae terra eorum, quae apud nos sunt pretiosissima, fert et omni pecoris genere est copiosa. Odoribus etiam suavibus, quos passim natura gignit, omnes nationes superat. In maritimis locis bal- samus oritur et cassia et in silvis ejus magnae sunt thuris et myrrae arbores, palmae insuper, arundines ac cinamomum etc. Neque enim referri possunt singulorum species, quae natura adeo affluenter in ea aggregavit. De hoc vide Diodorum L. III. C. XII. et L. IV. Haec fertilis et felix terra in tantum dif- fert ab illa sibi vicina Arabia Petraea et deserta, ac si mille ab ea distaret milliaria. Haec deserta Arabia ad occasum ver- git et arenosa est penitus, et qui per eam iter faciunt, quem- admodum in mari nautae Areti (arcti) signa duces habent. In hoc autem loco solum locuturus sum de solitudine Syn, quae a terra sancta incipit et ad radices montis Synai et in litoribus maris rubri finitur in provincia Madian. Quod autem mons Synai sit in Arabia, patet per Apostolum Galat. IV., ubi dicit: Syna enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, qui nunc est Jerusalem. Similiter, quando dicit Haymo ad lit- teram: Syna est mons Arabiae, qui sua magnitudine diversas provincias tangit et sua extremitate conjunctus est montibus terrae promissionis, in quibus est Jerusalem. Ideo tota illa solitudo dicitur Syn, quae tamen habet multas solitudines par- ticulares, ut solitudinem Ethan, Mara, Helim, Dephea, aliis Raphadim, Areroth, Rechma, Cades, et caetera, sicut patet Numeror. C. 33. Hae autem solitudines nunc alia habent no- mina arabica, sicut patebit in processu peregrinationis de man- sionibus peregrinorum, in quibus fixere tentoria. Qualis sit ergo illa solitudo et quantis defectibus subjaceat, in multis locis sacra Scriptura enunciat. Notandum tamen, quod de- sertum dicatur quatuor modis. Primo modo dicitur locus de- sertum vel desertus, in quo posset esse habitatio, sed non est,	0969 0949 1009 0909 1059 0859 0459 Ende Anfang